

samo sine oleo, tum quia talis unctio nunquam fuit adhibenda, et ideo nec prætermittenda dici potest, neque supplenda; tum etiam quia suppleri debet unctio ex balsamo benedicto; balsamum autem nunquam per se benedicitur separatim ab oleo; erit ergo supplenda unctio ex toto chrismate, talisque, qualis prætermittenda fuerat; non est autem supplenda sine forma, tum quia illi unctio debita erat (ut sic dicam) talis informatio, et hæc etiam fuerat prætermittenda; tum etiam quia prior forma caruerat veritate, quia non cecidit in verum chrisma, ut per illam significatur. Pontifex ergo cum dicit: *Caute est supplendum, quod incaute fuerat prætermittendum*, non negat, sed affirmat potius substantialia hujus sacramenti esse in eo casu iteranda. Vel igitur solum negat, illam esse iterationem, ut ab auctoribus supra citatis dicitur, vel addendum præterea est, negare Pontificem esse iterandos alios ritus et cæremonias, quæ in solemnitate administratione hujus sacramenti observari solent; unde aliqui colligunt, illud supplementum privatim et occulte absque ulla solemnitate esse addendum, præsertim ad vitandum scandalum. Et ideo etiam supra diximus agentes de baptismo, si contingat in solemnitate committi substantialem defectum, privatim esse iterandum quoad substantiam, non vero quoad solemnitatem et cæremonias. Quocirca juxta hanc interpretationem, potius ex hoc textu confirmatur nostra sententia. Nam juxta responsum Innocentii unctio chrismatis supplenda est; hoc autem nihil aliud est quam supplere id, quod est substantiale in sacramento. Unde nonnulli colligunt in prædicto casu non solum posse et debere sacramentum hoc quoad essentiam conferri, verum etiam id faciendum esse absolute et nulla adhibita conditione, quia res videtur adeo certa, ut non sit necessaria talis conditio. Sed quamvis hoc sine peccato fieri possit, eo quod prædicta sententia probabilior sit et securior, non est tamen necessarium, sed adhiberi potest conditio: Si non es confirmatus, etc., sive hæc exterius exprimat, sive interius tantum in intentione concipiatur, quia, cum opinio contraria sit probabilis in re ipsa, incertum est, an prius fuerit verum sacramentum, et conditio adjuncta nihil obstat posteriori sacramento, neque intentioni faciendi illud.

14. Neque contra prædictam interpretationem obstat conjectura supra adducta, quod Pontifex in eo textu unica responsione duplici

quæstioni satisfaciat. Nam inde non colligitur, id, quod defuit in utroque sacramento, ejusdem esse rationis, quoad esse accidentale vel substantiale sacramento; sed colligitur potius responsionem Pontificis generaliter et cum proportionem esse singulis quæstionibus applicandam; nimirum, in unoquoque sacramento supplendum esse id tantum, quod defuerit, sive accidentale illud sit, sive essentiale.

15. *Ad secundum argumentum.* — Ad secundum argumentum ex Patribus jam satis ostensum est, chrisma apud antiquos Patres regulariter significare compositum illud ex oleo et balsamo; quia vero præcipua pars ejus compositi erat oleum, eique modicum balsamum miscebatur, ideo mirum non est, quod interdum nomine olei significetur, præsertim, cum ex eisdem Patribus, vel eisdem, vel aliis locis constet, hujusmodi chrisma semper habuisse balsamum admixtum; in Concil. etiam Brachar. II, cap. 4, totum chrisma nomine balsami consecrati appellatur.

16. *Ad tertium argumentum.* — Ad tertium respondetur, primo conjecturam illam posse in favorem nostræ sententiæ adduci; quia hactenus nunquam in Ecclesia defuit balsamum sufficienter certum, ex quo posset chrisma confici, etiam in prædictis illis temporibus, quando Ecclesia, et his temporalibus rebus magis egebat, et graviores persecutiones sustinebat; cujus sufficiens argumentum est, quod cum tempore Fabiani Pontificis quidam Episcopi se excusarent a chrismate quotannis conficiendo, idque per biennium aut triennium differrent, eo quod balsamum per singulos annos reperiri non posse causarentur, eos Pontifex graviter reprehendit ep. 2, docens, quotannis esse chrisma novum conficiendum et vetus cremandum, *sicut a sanctis* (inquit) *Apostolis et eorum successoribus accepimus; hoc sancta Romana Ecclesia et Antiochena, a tempore Apostolorum custodit, et Hierosolymorum ac Ephesianorum tenet.* Ad excusationem autem illorum Episcoporum, quod scilicet balsamum singulis annis non invenirent, Fabianus nihil respondet, sed tanquam frivolum, et nullius momenti illam omittit; eaque non obstante severissimis verbis factum reprehendit, significans fuisse confictam, et balsami copiam facili negotio potuisse reperiri. Unde et in Concil. Brachar. supra citat. præcipitur, ut pro chrismate seu balsamo benedicto nihil ab Ecclesiis exigatur, sed gratis ab Episcopis detur. Quod est

signum, sine magno labore, aut dispendio potuisse semper reperiri; signum ergo est, balsamum esse materiam sufficienter certam, et abundantem, nec propter ejus penuriam dispensatum aliquando esse in Ecclesia, ut in solo oleo hoc sacramentum conficiatur; aut ea de causa caruisse aliquando fideles hoc sacramento. Aliunde vero est congruentissima hæc materia ad perfectionem, et effectum hujus sacramenti significandum, ut D. Thom. in articulo satis explicuit. Ad probationem vero ex testimonio Plinii respondetur imprimis majorem esse vim experientiæ, quæ a principio nascentis Ecclesiæ usque nunc ostensum est, esse sufficientem copiam balsami, semperque fuisse in Ecclesia ad hoc sacramentum conficiendum, quam sit auctoritas Plinii dicentis, solum in duobus hortis Judææ balsamum reperiri. Deinde non videtur Plinius loqui de suo tempore, sed de antiquo; sic enim ait: *Balsamum uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis*; itaque fieri potuit, ut olim rarius inveniretur; postea vero in majorem abundantiam excreverit; quod ita accidisse usque ad sua tempora Plinius in sequentibus significat, et apertius Joseph., lib. 8 Antiquitatum, c. 2, alias 6. Ubi refert, Reginam Saba plantam balsami Salomoni obtulisse, cujus hodie (inquit) ferax est nostra regio, illiusque reginæ munificentiam acceptam ferri oportet; et lib. 45, c. 5, alias quarto de agro Hierichuntino loquens: *Is* (inquit) *et balsamum fert, quod unguentorum longe pretiosissimum ibi tantum provenit, et eximiarum palmularum vim maximam*; et Hier. exponens verba illa Ezech. 27: *Juda et Israel balsamum, mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nudinis tuis*, dicit terram Judææ seu Palestinæ copiis harum rerum abundare, et balsamum nasci in vineis Engaddi, quod etiam affirmat Gregor., Cantio. 4, supra cit. Nunc denique magna copia balsami ex India defertur, quod, sive sit ejusdem speciei physice, sive non (hoc enim nihil ad veritatem sacramenti refert), non est tamen fictitium, neque adulterinum, ut quidam putant, sed verum, licet colore differat, quia in fragrantia boni odoris et in effectibus, aliisque proprietatibus habet sufficientem similitudinem et convenientiam cum alio balsamo Syriaco, et ideo simpliciter et univoce balsamum existimatur et nominatur; propter similem enim rationem vinum, sive sit rubrum, sive album, et sive specie differat, sive non, simpliciter est vinum, et materia sacramenti.

17. Atque in hunc modum intelligenda est illa declaratio Pauli III, et alia concessio Pii IV, quæ ab auctoribus refertur, conficiendi chrisma in India, cum balsamo illius regionis; non enim existimandum est, dispensasse Pontificem in materia hujus sacramenti, sed declarasse tantum illam esse sufficientem materiam, et dedisse facultatem utendi illa, quod in eo casu prudenter fuit existimatum conveniens, ac necessarium, quia prius solum balsamum Syriacum erat in usu. In rigore tamen existimo id potuisse fieri etiam sine facultate Pontificis; maxime, si alterius balsami copia non erat, quia illa erat materia sufficienter certa, moraliter loquendo. Tandem nihil refert, quod quantitas balsami misti oleo parva sit (quod in fine illius argumenti objicitur) quia non dicimus esse de essentia hujus materiæ, quod singulæ partes ejus sint substantialiter mistæ ex oleo et balsamo, sed solum, quod ipsum unguentum sit compositum et mistum. Nam hoc satis est, ut tota ipsa materia sit odorifera. Quod maxime ad significationem sacramenti desideratur. Singulæ etiam partes erunt mistæ, saltem quoad qualitates, per mutuam partium alterationem; atque hoc satis est, ut solum oleum sine mistione balsami non possit sufficere.

18. *Utrum chrisma esse recens illius anni, sit de necessitate hujus materiæ.* — Hic vero inquit aliquis, an sit de necessitate hujus materiæ, ut chrisma sit novum et recens illius anni. Nam Fabianus supra dicit, hoc esse necessarium ex Apostolica traditione; unde in Concil. Carthagin. IV, c. 36, præcipitur parochis, ut a suis Episcopis singulis annis ante Paschæ solemnitatem chrisma petant.

19. Idemque statuitur in Concil. Vasensi, c. 3, et in Concil. Tolet. I, c. 12, et colligitur ex c. 51, ex Collectis a Martino Bracharensi Episcopo, et habetur in c. Omni tempore, de Consecr., d. 4, et ex capite Quoniam, de Sentent. excommunic., in 6. Respondetur, hoc non esse de necessitate sacramenti, esse tamen de necessitate præcepti; ita Palud., 4, d. 17, quæst. 4, art. 2, n. 49. Prior pars certa est, quoniam hæc conditio chrismatis, quod sit ejusdem vel alterius anni, est valde extrinseca et accidentalis, ut ad substantiam sacramenti pertinere censeatur; neque in dictis decretis vel in aliis est aliquod verbum, unde id colligi possit. Denique Concil. Flor. non dixit, chrisma, eodem anno confectum, sed simpliciter chrisma esse materiam hujus sacramenti; sed quamvis sit vetus, vel alte-

rius anni, est verum chrisma; ergo est sufficiens materia, quantum ad substantiam sacramenti spectat; quæ ratio probat idem esse iudicium de quovis chrismate, quamdiu substantialiter incorruptum manet, et fragrantiam seu odorem balsami retinet; nam, si hunc omnino amisisset, aut omnino nulla, aut certe valde dubia materia esset, quia jam videretur omnino corrupta, saltem quantum ad misionem ex oleo et balsamo. Posterior pars probatur sufficienter decretis supra adductis. Hac enim de causa præcipitur, ut singulis annis in die Cœnæ Domini novum chrisma conficiatur, et per parochias distribuatur, et ut vetus concremetur, ut omnes unctiones, quæ chrismate conficiuntur, novo, et non veteri chrismate fiant. Unde in c. Si quis de alio, de Consecrat., dist. 4, dicitur, *eum, qui tentaverit ex veteri chrismate baptizatum unguere, nisi præoccupante morte, pro temeritatis ausu ipsum in se suæ damnationis protulisse sententiam*; ergo a fortiori idem dicendum est de unctione chrismatis, quæ fit in hoc sacramento, quæ est omnium præcipua; et propterea in dict. c. Quoniam, de Senten. excommun., in 6, dicitur, chrisma posse confici in die Cœnæ, non obstante interdicto; quoniam baptismus et confirmatio dari possunt tempore interdicti, ut ibi Gloss. notat: *Quia vetus (inquit) chrisma non debet esse usui, neque de veteri chrismate debet quis chrismari*. Denique Fabianus Papa expresse dicit Apostolos jubentes docuisse, non amplius, quam uno anno chrismate uti; atque deinceps novo frui et non veteri. Hic autem annus computandus est ecclesiastico more a Paschate in Pascha, seu a feria quinta in Cœna Domini ad aliam similem feriam quintam, ut satis colligitur ex citatis decretis.

SECTIO II.

Utrum de substantia et de essentia hujus materiæ sit, ut chrisma sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum.

4. *Ratio dubitandi prima.* — *Ratio dubitandi secunda.* — Ratio difficultatis potest esse duplex. Prima est, quia hæc benedictio chrismatis solum est sacramentale quoddam ab Ecclesia institutum, quod ejus auctoritate mutationem seu variationem recipit; ergo non est essentialis; nam Ecclesia nihil potest instituere, vel mutare in his, quæ ad substantiam sacramentorum pertinent. Et confirmatur, quia nulla certa, seu determinata

benedictio est de essentia hujus materiæ; ergo absolute nulla est essentialiter requisita ex institutione Christi; quidquid enim ex institutione Christi est necessarium ad substantiam sacramenti, habet determinationem, certamque formam ab ipsomet Christo. Secunda ratio dubitandi est, quia saltem non videtur essentialis, quod principalior est administratio sacramenti, quam consecratio materiæ, sed non est simpliciter de essentia hujus sacramenti, quod ab Episcopo conferatur; nam, ut infra videbimus, Papa potest in hoc dispensare, cum tamen non possit dispensare in his, quæ sunt de essentia sacramenti; ergo multo minus Episcopalis benedictio materiæ erit de essentia.

2. *Chrisma ex necessitate præcepti, et sacramenti, debet esse consecratum ab Episcopo.* — In hac re dicendum est, non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti ex parte materiæ esse, ut chrisma sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum. Hæc est sententia D. Thom. hic, et omnium theologorum, paucis exceptis. Et colligitur primo ex Concil. Florent., loco supra citato, definiente materiam esse chrisma ex oleo et balsamo per Episcopum benedictum. Fundatur autem hæc definitio in perpetuo usu Ecclesiæ, et ex traditione omnium Patrum, quos citavimus. Dionysius enim, cap. 4 de Eccles. Hierarch., late describit chrismatis consecrationem, quam dicit per Pontificem fieri. Cyrillus vero Hierosolymit., catech. 3 Mystag., adeo exaggerat hanc consecrationem, ut illam cum consecratione Eucharistiæ conferre videatur, dicens: *Vide, ne illud esse putes unguentum tantum; quemadmodum enim panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, sic sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque, si quis ita appellare velit, commune, sed est chrisma Christi, quod adventu Spiritus Sancti, per ipsius divinitatem, energiam habet*; quæ comparatio sano modo est intelligenda, per quamdam similitudinem, vel proportionem, non vero æqualitatem. Fabianus item et Cyprianus, quamvis non expresse nomine consecrationis utantur, tamen nomine confectionis chrismatis idem intelligunt, quia in Ecclesia nunquam est confectum chrisma sine aliqua benedictione. Unde Cyprianus de unctione chrismatis: *Sanctificatis, inquit, elementis, jam non proprie natura præbet effectum, sed*

virtus divina potentius operatur, sed adest veritas signo et Spiritus sacramento. Innocentius, epist. 4 ad Decentium, c. 3, expresse requirit, ut chrisma sit ab Episcopo consecratum, non solum ad confirmationem, sed etiam ad cæremonialem unctionem, quæ fit in vertice baptizati post baptismum. Denique omnia Concilia, quæ docent, chrisma non posse confici, nisi ab Episcopo, quæ supra tetigimus et statim insinuabimus, supponunt, confectionem chrismatis non esse nudam et quasi materialem misionem balsami et olei (hanc enim quilibet facere posset), sed esse etiam benedictionem aliquam, seu consecrationem, ad quam Episcopalis auctoritas, et consecratio necessaria est, et suo modo concurrat. Quocirca ubicumque Patres de chrismate loquuntur, per chrisma intelligunt hoc mistum ex oleo et balsamo sic confectum et consecratum; et ideo sæpe vocant sacrum, seu sacratissimum, vel sanctum chrisma, ut legitur in Concil. Trident., sess. 3, can. 2; et Laodic., can. 8, ubi vocatur chrisma cœleste, seu supercœleste. Optatus Milev., l. 2 contra Parmen., sacrosanctum chrisma vocat. Theoph. Antioch., lib. 4 contra Christ. religionis calumniatores, vocat divinum oleum. Eligius, Homil. 8, vocat sanctum chrisma; in Concil. II Brachar., cap. 4, vocatur balsamum benedictum, quod pro salute animarum per Spiritus Sancti invocationem consecratur; cum ergo Sancti simpliciter dicunt chrisma esse necessariam materiam hujus sacramenti, loquuntur de chrismate juxta prædictum usum; sicut ergo hinc supra colligebamus misionem balsami esse necessariam, ita nunc idem colligimus ex eadem traditione, de benedictione, seu consecratione materiæ.

3. Nec possunt hæc omnia testimonia explicari de sola necessitate præcepti, cum inter essentialia et necessaria simpliciter ex parte materiæ hæc conditio numeretur; et ideo ab initio Ecclesiæ invariabiliter et universaliter observata est talis conditio in hujus sacramenti administratione. Atque eisdem testimoniis ostendi potest, eadem necessitate, et tanquam de essentia sacramenti requiri ut hæc benedictio, seu consecratio, Episcopalis sit; ideo enim in Synodo Rom. sub Sylvest., cap. 3, et Concil. Tolet. 1, cap. 20, et Concil. Carthag. II, cap. 3, et Carthag. III, cap. 36, et Hispal. II, cap. 7, hoc ipsum expresse et disertis verbis cavetur, ne chrisma a presbytero, neque ab alio, quam ab Episcopo conficiatur. Ratio autem hujus veritatis pro-

pria est, quia Christus ita instituit, cujus institutio et voluntas satis est per nobis traditionem Ecclesiæ proposita.

4. *Congruentia vero sufficiens est, quæ traditur a D. Thom. art. 3, ubi eam declaravimus, defendimus, et confirmavimus*. Immeritoque eam rejicit Durand. in 4, disv. 7, q. 2, ubi ipse aliam adducit rationem, scilicet, quia materia sacramenti debet congruere ministro, et ideo, ubi requiritur minister consecratus certa consecratione, scilicet, Episcopali, materia etiam debet esse sacra certa benedictione; quæ ratio, ut probabilis congruentia acceptari potest, quanquam fundamentum, quod assumit, universale non sit. Nam in Eucharistia sacer minister requiritur certa consecratione, et tamen ex parte materiæ nulla præsanctificatio necessaria est; et e contrario, in extrema unctione in ministro tantum requiritur sacerdotalis consecratio, in materia vero præexigitur Episcopalis benedictio; cujus rei causam suo loco trademus; nam de speciali ratione Eucharistiæ satis dictum est in Comment. art. 3.

5. *Ad primam dubitandi rationem.* — Prima ratio dubitandi in principio posita postulat ut explicemus, qualiter hæc chrismatis consecratio sit jure divino instituta, ac determinata. Quidam enim Theologi, licet fateantur, nunc esse de necessitate hujus sacramenti, ut fiat ex chrismate consecrato, dicunt tamen posse Ecclesiam in hoc dispensare, seu statuere ut confirmatio fiat ex chrismate non benedicto. Utrumque affirmat Palud. in 4, dist. 7, quæst. 1, n. 49, et quæst. 4, n. 34, qui consequenter docet, Christum solum in communi, seu disjunctim instituisse, ut confirmatio fieret ex chrismate consecrato, vel non consecrato, prout Ecclesia id præscriberet; ita tamen, ut illud esset essentialis, et simpliciter necessarium, quod Ecclesia definiret. Fundamentum ejus solum est, quia potuit ita fieri sine ullo incommodo, et quia consecratio, quæ de facto est, non est sacramentum, sed aliquid sacramentale, et est mutabilis per Ecclesiam, et nihil reale addit, sed puram relationem rationis, seu denominationem extrinsecam. Et hanc opinionem fere sequitur Capreol. eadem dist. 7, quæst. 2, ad 4.

6. Mihi tamen nullo modo probanda videtur hæc opinio; nam si necessitas hujus consecrationis omnino penderet ex voluntate Ecclesiæ, nulla ratione ostendi posset, illam esse de necessitate sacramenti; vel e contra-

rio, si ea, quæ adduximus, probant (ut vere probant) eam esse de necessitate sacramenti, consequenter etiam convincunt, non esse in potestate Ecclesiæ facere, ut materia non consecrata sit sufficiens materia hujus sacramenti; nam quod consecratio requiratur, non ex institutione Ecclesiæ, sed ab ipso Christo manavit; hoc enim sensu dicunt Patres, Christum in nocte Cœnæ docuisse chrisma conficere. Jam enim ostendimus hanc confectionem chrisma, benedictionem aliquam includere. Unde Patres omnes et Doctores in conclusione citati non tantum ex suppositione determinationis Ecclesiæ, sed simpliciter et absolute censent esse de essentia hujus materiæ, quod sit consecrata. Et confirmatur, nam alioqui non omnia, quæ sunt essentialia in hoc sacramento, essent immediate ex institutione Christi; quod videtur repugnare his, quæ disputatione præcedente tradita sunt. Et est præter communem legem omnium sacramentorum novæ legis; in nullo enim alio sacramento determinatio materiæ, quoad aliquod essentialia, relicta est arbitrio Ecclesiæ. Sequela patet, quia nunc consecratio est essentialis, et tamen ejus necessitas dicitur simpliciter pendere ex determinatione Ecclesiæ.

7. Nec fundamentum Paludani quicquam obstat. Quia licet verum sit, potuisse Christum aliter sacramenta instituire, tamen de facto ipse voluit esse immediatus auctor sacramentorum omnium, quoad omnia essentialia; et in hoc sacramento absolute voluit, ut fieret ex materia præconsecrata, per quam consecrationem, quamvis nihil physicum materiæ addatur, deputatur tamen, et quasi in actu primo constituitur, ut possit virtute divina assumi in instrumentum ad sanctificandos homines, sicut aqua ex contactu Christi dicitur vim accepisse regenerativam; est ergo hæc consecratio ex Christi voluntate, veluti conditio quædam necessaria, seu præparatio debita materiæ hujus sacramenti.

8. *Consecratio chrisma in communi est de essentia hujus sacramenti.* — Restat vero ulterius declarandum, qualis consecratio necessaria sit in hac materia ex Christi institutione. Videtur enim necessario dicendum, Christum non determinasse modum consecrationis, sed solum in communi statuisset, ut hæc materia esset consecrata; modum autem consecrationis Ecclesiæ ordinationi reliquisset; quia nec est verisimile semper in Ecclesiâ servatum esse illum modum consecrandi

chrisma, quem nunc Ecclesia tenet, nec fortasse nunc eundem modum in universa Ecclesia tam Latina, quam Græca servari; cum tamen ea, quæ sunt ex institutione Christi, eadem sint apud omnes; ergo sola consecratio in communi est essentialis; modus autem est solum ex determinatione Ecclesiæ. Et hoc etiam docet Palud. supra, ejusque opinionem quoad hoc sequitur Soto, d. 7, art. 3, et absolute loquendo, ita sentiendum videtur. Potest autem duobus modis hoc explicari. Primus est, ut facta ab Ecclesia determinatione consecrationis, jam non tantum consecratio absolute, sed etiam talis modus consecrationis sit essentialis, et simpliciter necessarius. Et hoc etiam affirmat Paludan., et consequenter loquitur; videtur tamen incidere in eadem incommoda, quæ contra priorem partem ejus sententiæ a nobis illata sunt, nimirum quod aliquid nunc de facto sit essentialia, quod Christus immediate non instituit; et quod essentia sacramenti pendeat ex institutione Ecclesiæ. Sed revera non est quoad hoc similis ratio; unde quoad hanc partem posset hæc sententia probabiliter sustineri, dicendo, facta ab Ecclesia determinatione, et definito modo consecrationis, solam illam habere rationem sacræ ceremoniæ, et religiosi cultus, et ideo illam solam vere esse benedictionem sacramentalem, omnemque alium modum fore superstitiosum, et sacrilegum, magisque maledictionis, quam benedictionis nomen mereri. Atque hoc modo non est inconveniens, materiam sacramenti pendere aliquo modo ex institutione Ecclesiæ, non quia ab illa pendeat designatio materiæ, sed quia ab illa pendere potest existentia (ut sic dicam) ipsius materiæ, seu quod talis revera sit, qualem Christus postulavit. Sicut in sacramento matrimonii ex ordinatione Ecclesiæ pendet, quod hic sit verus contractus, vel non; et in sacramento confessionis pendet ex jurisdictione Ecclesiæ, quod hæc sit vera confessio, vel non. Secundus tamen modus explicandi hanc rem esse potest Christum instituisse, ut chrisma consecraretur per Sancti Spiritus invocationem, ut Sancti Patres supra citati loquuntur; ideoque, quomodocumque fiat hæc consecratio et benedictio, dummodo ab Episcopo debita intentione fiat, esse sufficientem ad substantiam sacramenti; quamvis non servetur modus ab Ecclesiâ præscriptus. Nam quoad hoc, ceremonialis magis videtur, quam substantialis, et ideo licet sit necessarius necessitate præcepti, non

tamen sacramenti; atque ita videtur opinari Soto supra dicens, variare consecrationem materiæ, non esse substantiam ejus mutare; atque adeo nec substantiam sacramenti. Et potest hoc confirmari, quia non est verisimile omnes deprecationes, benedictiones, et ceremonias, quæ juxta Romanum ritum fiunt in consecratione chrisma, esse de substantia hujus materiæ seu essentielles consecrationi ejus. Neque etiam designari possunt aliqua verba vel facta, in quibus consistat essentia talis consecrationis, ut facile patebit attente legenti, et consideranti totum illum ritum; ergo dicendum est, solum esse de essentia, quod materia consecratur per Episcopalem benedictionem, et Sancti Spiritus invocationem. Nam in hoc satis salvatur Christi institutio, et hoc de se semper est sanctum et pertinens ad divinum cultum, quamvis in omissione aliorum, quæ præcepta sunt ab Ecclesiâ, possit peccatum intervenire; si tamen in diversis Ecclesiis sunt in hoc diversi ritus probata consuetudine recepti, illa varietas et licita est, et non est in re substantiali, sed accidentali sacramenti. Non omitam advertere August., tr. 118 in Joan., in fine, significare, ut rite fiat hæc consecratio, necessarium esse, adhiberi signum Crucis. Sed cum August. idem ibi dicat de aqua baptismi, non videtur loqui de ritu essentiali, sed de ritu necessario ex præcepto et consuetudine Ecclesiæ. Atque ita sufficienter responsum est ad primam difficultatem.

9. *Ad secundam dubitandi rationem.* — In secunda petitur aliud dubium, scilicet, an sit omnino essentialia, et omnino invariabile, quod benedictio sit Episcopalis, quod dubium posset remitti in disputationem de ministro; tamen, ut plena notitia hujus materiæ habeatur, hic poterit expediri. Cajetanus ergo hic, art. 3, in dubium revocat, an confirmatio acta cum chrisma a simplici sacerdote consecrato sit verum sacramentum; et putat, affirmantem partem esse magis rationi consentaneam, quia sacerdos simplex potest efficere maximam consecrationem, scilicet, Eucharistiæ; ergo et quancumque minorem, ita ut facta teneat, quamvis peccet faciendo. Hæc vero Cajetani opinio singularis est, et contra omnes Theologos, et plane repugnans his omnibus, quæ in confirmationem conclusionis adduximus. Ostendimus enim, chrisma ab Episcopo benedictum esse de essentia, ex primæ institutione hujus sacramenti; ergo benedictio facta a simplici sacerdote est per

se insufficientis ad conficiendum chrisma, quale a Christo institutum est; et hoc magis constabit ex sequentibus. Ratio autem Cajetani nullius momenti est, quia in causis et virtutibus limitatis nullum argumentum sumitur a majori effectu ad minorem, quando unus alterum non includit, neque ei subordinatur; quia enim ignis potest generare ignem, non recte inferemus posse etiam generare aerem, licet minus perfectus sit, quia revera hujusmodi argumentum non est a majori ad minus, sed vel a disparatis, vel potius a minori ad majus, seu a parte ad totum; quia majus est posse utrumque, quam alterum tantum. Alioqui etiam posset Cajetanus inferre, posse simplicem sacerdotem templa, et aras consecrare, et omnia alia similia, quæ minora sunt, quam Eucharistiam conficere. Quod tamen sine dubio falsum est. Quia, licet sint minora, tamen propriam et specialem potestatem requirunt distinctam a potestate consecrandi Eucharistiam, quæ limitata est ad actus suos. Sic ergo est in præsentia. Nam etiam confectio chrisma est supernaturalis actus a Christo institutus, requirens specialem potestatem ab eodem Christo datam; hanc autem, ut ex antiqua traditione colligitur, dedit Christus solis Episcopis, non simplicibus sacerdotibus; neque etiam Ecclesiâ eam illis concessit, cum potius omnino illis interdicat tale ministerium.

10. *An Ecclesia possit concedere simplici sacerdoti munus conficiendi chrisma.* — *Prima opinio.* — *Secunda opinio.* — Major difficultas est, an saltem possit Ecclesiâ hoc ministerium conficiendi chrisma concedere simplici sacerdoti; tres enim falsas sententias in hoc reperio. Prima est Paludan., dict. quæst. 4, n. 34, qui sicut dixit, potuisse Ecclesiâ ordinare, ut sufficiat ad hoc sacramentum chrisma non benedictum, ita etiam dicit, posse ordinare, ut sufficiat chrisma benedictum a simplici sacerdote; et consequenter quidem loquitur, quia putat, nihil de hac chrisma consecratione Christum in particulari statuisset; sed sicut hoc fundamentum falsum est, ita et ea, quæ illud consequuntur; ostensum est enim ex definitione Concil. Florent. et aliis, Episcopalem consecrationem esse de essentia hujus materiæ, et consequenter esse immediate de institutione Christi; ergo non potest Ecclesiâ absolute et simpliciter ordinare, ut minor benedictio, scilicet, a simplici sacerdote facta sufficiat. Secunda sententia esse potest, per modum dis-